

Der nachstehende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen:

Horaz empfiehlt seinem Adressaten die Lektüre der homerischen Dichtungen:

Troiani belli scriptorem, Maxime Lolli,  
 dum tu declamas Romae, Praeneste relegi,  
 qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,  
 planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.  
 Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi : (5)  
 Fabula, qua Paridis propter narratur amorem  
 Graecia barbariae lento conlisa duello,  
 stultorum regum et populorum continet aestus.  
 Antenor censet belli praecidere causam :  
 quid Paris ? ut salvus regnet vivatque beatus, (10)  
 cogi posse negat. Nestor componere litis  
 inter Peliden festinat et inter Atriden :  
 hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.  
 quidquid delirant reges, plectuntur Achivi :  
 seditione, dolis, scelere atque libidine et ira (15)  
 Iliacos intra muros peccatur et extra.  
 Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,  
 utile proposuit nobis exemplar Ulixen,  
 qui domitor Troiae multorum providus urbes  
 et mores hominum inspexit latumque per aequor, (20)  
 dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa  
 pertulit, adversis rerum immersabilis undis.  
 Sirenum voces et Circae pocula nosti;  
 quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,  
 sub domina meretrice fuisset turpis et excors; (25)  
 vixisset canis inmundus vel amica luto sus.  
 Nos numerus sumus et fruges consumere nati,  
 sponsi Penelopae, nebulones, Alcinoique  
 in cute curanda plus aequo operata iuventus,  
 cui pulchrum fuit in medios dormire dies et (30)  
 ad strepitum citharae cessatum ducere somnum.  
 ut iugulent hominem, surgunt de nocte latrones:  
 ut te ipsum serves, non expergisceris? atqui  
 si noles sanus, curres hydropicus ; et ni  
 posces ante diem librum cum lumine, si non (35)  
 intendes animum studiis et rebus honestis,  
 invidia vel amore vigil torquebere. (...)

Beachten Sie:

V. 14 *plecti*: Schläge bekommen, büßen müssen

V. 22 *adversis* können Sie bei der Übersetzung als Enallage behandeln.

V. 25 *excors*: töricht, einfältig

V. 31 *cessatum ducere somnum*: den Schlaf, der auf sich warten lässt, herbeilocken

V. 34 *hydropicus*: wassersüchtig